



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XV. S. Michael. Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus, & alijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

c. 3. Ezech. ante finem. Ex lapide quidem, ac jocis, mendacium nascitur, Joan. Climacus ac ferro, excutitur ignis; ex loquacitate verò, pr. 12. de mendacio.

TITULUS XV. S. MICHAEL.

Ex Veteri, & Novo.

Veneruntque duo Angeli. Gen. 19. 1. Duo scilicet, qui ab Abrahamo recesserant, tertio cum eo remanente. Symbol. Angelus unus è tribus, representans Deum Patrem, manserat cum Abraham, ut ejus domum benediceret, eumque patrem efficeret, ad generandum Isaac; unde videtur hic Angelus fuisse medius, & primarius inter tres, puta Michael; qui duos locos, Gabrielem, & Raphaellem, militi ad excindendam Sodomam. Gabriel enim juxta etymon suum, est fortitudo Dei; puta fortis executor divinæ justitiæ; hicque representat secundam in Trinitate personam. Raphael verò videtur esse Angelus præses castitatis, & ultor incestus. Hic representabat Spiritum S. qui est tutor, & vindex, castitatis; summusque osor libidinis. Cornelius hic.

Michael totâ nocte lustratus cum Jacob. Gen. 32. 24. S. Thom. Vill. conc. 1. de S. Michael.

Apparuitque ei Dominus. Ex. 3. 2. Fuit hic verus Angelus: quia est communis Theologorum cum S. Dionysio c. 4. coel. hierarch. sententia, omnes Dei apparitiones in veteri testamento factas esse per Angelos. Dices: quomodo ergo hic Angelus vocat se Deum? Resp. licet obsequio esset Angelus, representatione tamen, & autoritate, erat Deus: sustinebat enim personam Dei. Censentque S. Justinus M. Tertull. Hilar. Ambros. Chrysost. in omnibus apparitionibus veteris testamenti representatum fuisse Filium; non Patrem, non Spiritum S. Angelum hunc fuisse Michaellem, probabile est: erat enim custos Synagogæ, ut jam S. Ecclesiæ. Cornelius hic.

Sum princeps exercitus Domini. Jos. 5. 14. Quis esse putandus est princeps exercitus Domini? arbitror esse Michaellem Archangelum. B. Theodoretus q. 4. in Jos. hic.

Cui respondit Angelus. Judic. 13. 16. Probabiliter opinatur Serrarius, hunc Angelum Pele, id est, admirabilem, fuisse S. Michaellem: docetque S. Michaelis nomen, & invocationem; mirè valere contra omnes tentationes. Cornelius hic.

Hic est Michael Archangelus, qui potentissimum exercitum Sennacherib Assyriorum regis interemit. 4. Reg. 19. 35. S. Thom. Vill. conc. 1. de S. Mich. Idem affirmat Pantaleon Diaconus. Juxta eundem Michael conclusit ora leonum. Dan: 6. 22. Michael repressit flammam ignis. Paoletti f. 30. de S. Mich.

Dixit autem ad cultorem vineæ. Luc. 13. 7. Michael Archangelus, qui Dan. 10. 13. præpositus est populo Judæorum, nomine cultoris vineæ congruè intelligitur. Cajetanus hic.

Ex Patribus, & aliis.

Satage, quomodo magis adsumaris ad societatem Michaelis Archangeli; qui orationes Sanctorum semper offert Deo, adsumeris autem in hunc numerum, vel in istud officium; si insistas semper orationi, & vigiles in ea. Orig. hom. 14. in Numer.

Quando omnia illa admirabilia, quæ expectantur per sonitum, quem daturus es, consumabuntur; tunc ô S. Archi-Satrapa, errantium ductor, prolapsorum excitator, animorum propugnator, corporum conservator, demonum exterminator, S. Michael! tunc, obsecro te, tunc fidus causæ meæ patronus adesse aë gravere. S. Sophronius or. in laud. Angelorum.

Ex illo certamine magno, & mirabili; pulchrò nomine, & honore, donatus est unus; & primus de militiæ cœlestis principibus gloriōse rediit, nomine videlicet, ut exinde vocetur Michael: honore, ut non solum Angelorum, verum etiam hominum habentium Dei verbum ipse sit princeps. Et hoc honore, velut principatui donatus est, ex quo contra diabolum dicentem, Deus ego sum, restitit; ut diceret: quis sicut Deus? & vincendo illum, probavit; quia nullus alius esset Deus. Rupertus de vict. verbi Dei c. 18.

Primus de militiæ cœlestis principibus. Rupertus ib. l. 1. c. 18.

S. Laurentius Just. in festo S. Mich. vocat illum: cœlestis exercitus Primatem, & Ducem: animarum electorum sedulum susceptorem.